Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioannis Ionstoni|| Theatrvm|| Vniversale|| De Avibvs

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLVI.

VD18 90528921

Illustration: Tab. XXV. Vrogallus maior. Aurhan. [...]

urn:nbn:de:gbv:45:1-11068

Visual Library

Tab: XXV

Vrogallus maior.
Auerhan.
Vrogallus ſeu Tetroa alius.
Vrogallus minor.
Grygallus maior.
Spillhan Gurgelhan.
Gallina Coryſlorum.
Haſelhun. Rab hun.

ret. Cum quis ad gallinam accederet, totis inhorreſcebat plumis et gradu ſuperbo exterrere accedentes conabatur.

Locus. Quantum ad *locum*, Boeotii ſoli indigenae meleagrides eſse uidentur. Aetoliae peculiares Menodotus *g* ſanius facit et inde in alias partes translatas credit. Diodorus *h* ultimam Syriae partem, Strabo *i* Arabiam ipſis tribuit. Certum, noſtras calidioribus locis delectari, una cum gallinis paſci et longius a domo per agros diuagari. Quod autem Scylax Cariandenſis *k* lacui Cephiſio in Africa, Mnaſeas *l* lacui ibidem Cratum amnem de ſe promenti eas uendicat, uel error eſt uel gallinis quibusdam Africanis, quae paludes amant, rutilam *m* galeam et criſtam in capite gerunt quaeque nouisſimae *n* peregrinarum auium in menſas propter ingratum uirus (quod noſtris meleagridibus non competit) receptae ſunt, nomen meleagridum propter ſimilitudinem indidere.

Victus. *g Athen. l. 14.* *h Diodor. l. 3. Biblioth. c. 12.* *i Strabo. l. 16. Geogr.* *k in Periplo orbis.* *l Plin. l. 16. H. N. c. 44.* *m Columella l. 8. de re ruſt. c. 2.* *n Plin. H. N. l. 10. c. 26.*

Coeunt o aliquando cum pauonibus et excluduntur pulcerrimi pulli nitidisſimis pennis fulgentes. *Incubant* uerno tempore diebus tricenis. *Generatio.* *o Bapt. Porta l. 2. Mag. Nat. c. 14.*

Ad *uocem* earum extendit Pollux uerbum κακκάζειν crocitationi gallinaceae pauoninaeque non disſimilem edit cum fragore per collum longe lateque uagantem et inſtar liquoris in dolium infuſi obſtrepentem. De uſu ipſorum in cibis non eſt, quod dicamus. Olim Iſidi Tithoneae *p* a pauperioribus immolabatur. *Vox.* *p Pauſan. in Boeoticis.*

ARTICVLVS III.

De Phaſiano, Vrogallo ſeu Tetraone Maiore et Minore.

Phaſianus Galeno gallus ſylueſtris, Statio Phaſidis ales, Scythica uolucris Iuuenali, itys quibusdam dicitur. Magnitudo non omnibus eadem. In regionibus Ergimul et Cerguth, quae Magno Chamo ſubſunt, maximos reperiri Paulus Venetus ſcribit, cum tantae prolixitatis cauda, ut decem et octo palmos excedant. Is, quem Aldrouandus deſcribit, libras tres duodecim unciarum pendebat. *Roſtrum* coloris erat cornei, pollicis transuerſi longitudine, in extremo recuruum, ſuperius inferiore longius. Membrana carnoſa, qua capiti coniungitur, tuberoſa, ſub qua nares occultantur, inſtructum. *Caput* in uertice colore cinereo fere micabat, ad latera ſupra coccineam maculam et prope roſtrum uiridi et admodum uel in ſole uel in umbra uaria. Ab utraque capitis parte e regione aurium pennae, quas Plinius cornicula uocat, eleuabantur, ſub his caruncula ſeu muſculus, qui cornicula illa mouent, adparebant. *Aures* erant admodum latae, profundae et rotundae. *Colli* pennae infra prope pectus et pectoris etiam prope collum tribus coloribus uariabant, fuſco nempe prope radices, dein aureo et uiridi, ſed uiridis, niſi complicatis ſimul pennis non conſpicitur, ſi unicam a corpore ablatam examines, niger iam adparet, ſed et aureus, ſi pennas inuertas, ſplendorem amittit. *Tergoris* pennae erant totae ferrugineae ad rufum uergentes et, uelut in exigua flamenta deſinebant. *Cauda*, quae organi pneumatici figuram obtinet, duos dodrantes cum duobus palmis explebat etc. Foemina mare per omnia deformior eſt, coturnicis fere colore.

Locus ipſis Phaſis amnis, unde nomen ſortiuntur, Athenaeus *b* ex Media adcerſiri ſolitas quaſi meliores tradit, in Indiae hortis cum pauonibus enutritas *c* Aelianus. In Curiana *d* regione tam numeroſi capiuntur, ut ſinguli duabus aciculis uenditi fuerint. *Locus.* *b Athen. Dipnoſ. l.* *c Aelian. l. 13. de Animal. c. 18.* *d Martyr. l. 8. Decad. Ocean. c. 1.*

In Scandinauia aliquando absque cibo ſub niue latent. Fridericus Saxoniae Dux ducentos emisſos *Victus.*

Landesbibliothek Oldenburg